



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 17. Scriptura Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Secul. XV. composito de Concilii atque Pontificis au-  
A. C. 1415. auctoritate.

## §. XVII.

*Scriptura Petri Alliacensis Cardinalis  
 Cameracensis.*

*Gerson. op.*  
*to. 2. p. 950.*

**D**ocuit Petrus in hoc scripto, erroneum, imo nonnullis videri, hæreticum esse, cum adversariis asserere, Concilium nullam per se auctoritatem habere, nisi ex capite, videlicet Papa. Exinde enim sequi, quod Pisanum Concilium non habuisset auctoritatem ullam, quia auctoritate Papæ non fuit congregatum, ac Joannes XXIII. legitime haud modo fuisset electus, qui Alexandro V., quem hæc Synodus elegit, successerat. His addit, idem hoc Concilium Pontifice superius extitisse, eo nomine confirmari; argumento etiam satis valido, quia illi duo contendentes condemnati fuere Pontifices; æqualem quoque potestatem alteri quoque Concilio in quodam casu competere posse. Tandem ex his concludit evidenter falsam esse quorundam Juristarum opinionem, dicentium, quod in Concilio Generali Papa duntaxat judicet, & desinat, & Concilium solummodo suadeat, & consulat, nec Papa teneatur sequi deliberationem, vel suasionem Concilii, sed quod standum videatur sententiæ Papæ, si contradiceret Concilio. Ut ve-

ro

ro hujus opinionis falsitatem demonstra-  
ret, tradit, quod Ecclesia universalis, Sæcul. XV.  
A. C. 1415.  
proin Concilium eam repræsentans, a  
*Christo Domino, & non a Papa Privile-*  
*gium auctoritatis habeat, quod in fide errare*  
*non possit; sed talem, subjungit, auctori-*  
*tem non habet Papa, cum errare possit.*

## §. XVIII.

*Mandata Cardinalibus Friburgum ad  
Papam ituris data.*

**D**ie decima nona Aprilis Cardinales, ac  
Nationum Deputati a Synodo ad Pa-  
pam Friburgum abire jussi, non modo  
verbis, sed tota consilii serie instruebantur.  
Præter generale mandatum, quo  
ad mentem Synodi intra certum tem-  
poris spatium cessionis tabulas exigere  
jubebantur, insuper injunctum est, ne ab  
invicem separati unquam cum Pontifice  
agerent, nec de aliis negotiis directe vel  
indirecte cum eo tractarent, denique duo-  
decimo abhinc die ad Synodum rever-  
terentur. Hi sine dubio potestatis de-  
mandatæ limites transgrediebantur, eo-  
quod libellum, quem ipsis Antiochenus  
Patriarcha dederat, Pontifici tradendum in  
se suscepissent; Huic autem Scripturæ al-  
tefatus Præsul binas inferebat proposi-  
tiones, quarum prima erat: Pontifex est  
Synodo auctoritate superior. Altera,  
B 2                      Decreta